

par esse non potest, juxta illud tritum: *In omnibus aliquid, in toto nihil; & Pluribus intentus minor est ad singula sensus.* Hinc Moses, Josua, Maccabæi, Apostoli, &c. heroico animo res admirandas gesserunt, nullâ aliâ quàm vocationis autoritate nixi. Quicumque enim extra vocationem suam egreditur, non habet à Deo promissionem, ideoque nec prosperitatem.

3 Sedulitati in excessu opponitur Curiositas, quæ est vitium morale in laborando modum excedens.

SCHOL. Dicitur Græcè *ἀειεργία*, item *ὑπερπονία*, nimia diligentia. Efficimur autem curiosi 1. quum labores suscipimus à nostra persona & officio alienos, vel saltem inutiles, non necessarios, in quorum catalogo etiam ponimus aleatores, nocturnos grassatores, omnesque alios temerarios. 2. quum nimios labores sive nostris, sive alienis rebus impendimus. Nam rectè poëta: Quod caret alternâ requie, durabile non est. Et: Interpone tuis interdum gaudia curis, Ut possis animo quemvis perferre laborem. 3. quum in laborando malus proponitur scopus. Curiositati subjungitur *πολυπραγμοσύνη*, quum quis variis negotiis tum suis, tum alienis sese implicat, idque temerè; item *ἀλλοτριεπισκοπία*, quum quis alienarum rerum ad se nihil pertinentium curam suscipit. Pseudoprophetæ non missi prædicabant, currebant, Jerem. 14. v. 14. Martha curiosa Mariam à Christi sermone ad curam alienam volebat abstrahere, Luc. 10. Core, Dathan, Abiram non contenti honorifico suo munere, quod exercebant in ministerio tabernaculi, curiositate impulsæ in Mosis officium sese ingerere voluerunt, sed exitu admodum infelici, Num. 16. Ozias alioqui bonus rex, non contentus regiâ dignitate, sacerdotii munus invadebat, 2. Chron. 26. Notum est, quid superiori seculo moliti fuerint Joh. Leidenensis, Thomas Muncerus & Cniperdolingius, qui subditos rusticos adversus magistratus & principes Germaniæ armabant. Legatur integra historia

quomodo efficiuntur Curiosi. 1.

v 39. 40. 41.